

**Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.****Wersja krakowska**

Rękopis Biblioteki Narodowej, sygn. 12607 III, k. 30ra-30rb

Odczyt: Maciej Mikula

Artykuł 17-18 [Gn. 14]

[17] Si aliquis ducit uxorem et si vir de hac luce decedit, uxor nichil habet in suis bonis, nisi sibi dederit pro dotalicio aut vite provisione pro eius vita in iudicio bannito. Nulla mulier potest vite provisionem, nec dotalicium hereditarie observare. Et cum moritur, ad heredes revertitur sui mariti. Quodsi sibi maritus mulieri nichil in suis bonis dederit, in possessionem bonorum sui mariti debet permanere, et pueri sibi necessaria ministrabunt, eousque in viduitatem et sine marito voluerit permanere. Si vir oves habuerit, mulier ad suppellectilia recipiet. Et si pueri vellent dotalitium mulieri infringere, servare potest testimonio virorum ac mulierum metseptima, qui tunc presentes fuerunt. <Si aliqui pueri fuerint exhereditati <sup>a</sup>> Si vir pueros habuerit, aut mulier, quicumque ex hiis exhereditati fuerint, si moritur vir, hii pueri, qui in hereditate patris [k. 30rb] sunt, recipiunt bona et non hii, qui exhereditati sunt, sed hereditatem vendere non possunt absque coheredum consensu. Hii pueri, qui in potestate patris tempore mortis fuerunt, si ex hiis unus moritur, istius partem dividunt inter se equaliter, tam exhereditati, quam domestici.

<sup>a</sup> ręką β ze znakiem wstawienia

[18] Deservitum precium, rationabile debitum debent solvi de bonis mortui [k. 30va] viri pro dotalicio, ad hoc si mulier fuerit dotata pecuniis in promptis. Si autem dotata fuerit in hereditate vel proprio, tunc suum dotalicium pre aliis debitis iure valeat obtinere. Etiam quivis vir habens mansionem infra municipale, ille sue conthorale dare potest pro dotalicio suam propriam hereditatem, quam in posse habet alienandi, et eciam in aliis bonis suis mobilibus in quantum voluerit.

[hasła: żona, mąż, wdowa, wiano, sąd wyłożony, uposażenie, gerada, dziecko, współprzysiężnik, samosiódm, przysięga, wydzielony, dziedzictwo, spadek, dobra, dług, ruchomość]